DE

IUVENALIS VITA

CONTROVERSIA

SCRIPSIT

HECTOR STAMPINI

AUGUSTAE TAURINORUM

APUD ARMINIUM LOESCHER

AN. MDCCCLXXXIII.

Ex Ephemeridibus quae inscribuntur
« Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica, anno XII, fascicolo 2° »
excerptum.

DE IUVENALIS VITA

CONTROVERSIA

Semper mihi persuasum fuit litterarum studiosis cum scriptorum omnium, tum praecipue praestantissimorum vitas, aetates et tempora esse persequenda. Cum vero in satiricorum romanorum studium diu totoque animo incubuissem atque ad eorum scripta diligenter pervolutanda operam contulissem meam, non alienum putavi illud quoque cogitatione comprehendere quo quisque fuerit ingenio, quibus virtutibus eluxerit, quibus autem vitiis laboraverit, tum quae in tempora inciderit, quos homines cognoverit, quos denique in casus a fortuna demissus fuerit. Nil igitur mirum si, cum in D. Iunii Iuvenalis satiris diu multumque versatus essem, de eius temporibus ac vita quaerere decrevi, ea quidem mente ut obscurissima quaeque et difficillima, quantum fieri posset, explanarem. Neque enim erat mihi ignotum tantam ad hoc tempus de Iuvenalis aetate atque exsilio opinionum discrepantiam fuisse inter doctos, qui in eius satiris studium posuissent, ut nonnulli, veluti ab omni spe deiecti fore ut aliquid certi constitui possit, rem in medio relinquere non dubitaverint; alii autem complures easdemque discrepantes sententias protulerint. Ego vero cum difficillimam quaestionem mecum saepenumero meditatus essem, doctorum scripta, quae ad illam pertinerent, accuratissime expendere constitui, ut quid tandem de hac re sentiendum esset, explorate possem iudicare. Cum igitur in multis libris studiose volutatus essem, latinam commentationem exaravi, quae biennio ante in hisce ephemeridibus edita fuit (1). Qua quidem, ut multa paucis complectar,

(1) Anno IX, 1881, fasc. 10°-11°; pp. 417-480. — Hic, arrepta occa-

quantuscumque fui' ad iudicandum, sic statui, Iuvenalem anno circiter LVII p. Chr. n., imperante Nerone, natum esse, cumque ab Hadriano in exsilium eiectus esset anno circiter CXXXVII, in Aegypto anno aetatis altero et octogesimo, ineunte Antonini Pii imperio, senio ac taedio vitae confectum decessisse. Quamvis enim huiusmodi sententia coniectura tantummodo niteretur, quod ipse conceptissimis verbis professus sum (1), nihilominus adeo probabilis mihi videbatur, ut, si ulla res esset, quae veritatis speciem prae se ferret, hanc certe esse existimarem.

Ceterum iis omnibus, qui meam commentationem perlegerint, exploratum esse debet me Ribbeckii sententiam, quod ad Iuvenalis aetatem atque exsilium pertinet, si pauca tantum excipias, secutum esse — nihil enim ad rem pertinet, si paullum ab eo discrepare videor —; nonnulla vero ad eam confirmandam argumenta adhibuisse, quae quamquam vir clarissimus neglexerat, tamen non parvi momenti esse mihi videbantur (2). Sed, quoquo modo sese res habeat, si non de exsilii loco, qui adhuc inter doctos ambigitur, at saltem de Aquinatis poetae temporibus hoc ratum fixumque video apud recentiores aliquos antiquitatis investigatores, extra fines, qui post Borghesii studia Iuvenalis vitae constituti essent (3), iam nobis egrediendum, ob eamque causam eius aetatem longius esse producendam. Nam, ut omittam Ludovicum Friedlaenderum, qui vir praeclara eruditione et doctrina poetam ab anno p. Chr. n. LXVII ad annum CXLVII vitam perduxisse censet (4), Ludovicum Schwabium, qui anno superiore Teuffelii romanarum litterarum historiam retractatam edidit, ad Ribbeckii meamque opinionem se adiunxisse video (5). Ex quo iam intellegi potest disputationi meae, quod attinet ad Iuvenalis tempora producenda, etiam doctorum hominum auctoritatem suffragari. Sed haec hactenus; infra alia

---

sione, lectorem humanissimum monebo ex ephemeridibus commentationem meam excerptam et separatim editam fuisse. Qua de causa hoc in scripto binis notis singulae commentationis paginae indicabuntur, adiecta littera E, ut excerptum ab ephemeridibus distinguatur.

(1) Cfr. *Rivista* cit., pp. 418, 480 adnot. (6, 68 E), etc.

(2) Cfr. adnot. 2, p. 468 (56 E), seqq., etc.

(3) Cfr. *Rivista* cit., p. 424 (12 E), seqq.

(4) Cfr. *Riv.* cit., p. 426 (14 E).

(5) *Geschichte der Roemischen Liter.* Leipzig, 1882, § 331, p. 755.

fortasse per occasionem adiicientur. Si autem illa consideramus, quae ad imperatorem spectant, a quo Iuvenalem exsilio multatum esse veteres prodiderunt, tum quae ad exsilii causam ac locum, non solum ante hanc aetatem aliquot annis sed nostris quoque temporibus alios alia sensisse scimus. Quoniam vero non desunt qui, cum meae opinioni adversentur, aliam tueri sententiam argumentis et rationibus studeant, omnis haec oratio in eo tantum versabitur, ut meam defendam refutemque contrariam.

Spectant haec verba praesertim ad Alexandrum Tartaram, politiorum litterarum doctorem, qui superiore anno in diurnis commentariis, qui inscribuntur *La Rassegna* (1), sumpto censoris animo, commentationem meam ita reprehendit, ut nihil propemodum relinqueret, quod criticis probandum esset. Scilicet tantum abest ut doctorum reprehensionem indigne feram, ut valde eam semper desiderem, si quid in meis scriptis mutare et emendare possim; cum vero nullam causam reperiam cur in mea sententia non perseverem, atque adeo obiurgatorem meum in gravissimos errores raptum esse videam, dabitur mihi haec venia, ut, singulis, paene dicam, Tartarae argumentationibus pensatis, quanti demum faciendae sint demonstrem.

Itaque, ne omnia persequens, quae in mea, quam memoravi, commentatione exposuerim, multus sim — quod quidem neque propositum mihi est hoc loco neque necessarium —, certos mihi fines terminosque constituam, et eos quidem quibus ipsa Tartarae disputatio circumscripta ante oculos obversatur, eodemque fere ordine me ad defensionem accingam, quem in reprehendendo virum eruditum servasse video.

Haec eo praedicenda fuerunt, ut, si qui forte mea verba, quantacumque sunt, legant, quid nunc mihi in animo sit, iam a principio compertum habeant. Quod si quis plura legere cupiat, quam quae haec exhibet oratio, eum ad nostram illam, quam dixi, commentationem delegamus.

Ergo hoc sit primum, ut demonstremus falsum esse cum vetera de Iuvenale testimonia, quibus vulgo *Vitae* nomen est, tum Malalam et Suidam, antiqua demum Scholia de imperatoris nomine congruere a quo Aquinas poeta urbe fuerit summotus. Quod enim unam alteramque tantum Vitam — ut hoc utamur verbo — dissentire Tartara pro certo dicit (2), nae ille vehemen-

(1) 17 Luglio 1882. Num. 170.

(2) « I fonti s'accordano che fu Domiziano, tanto le così dette *Vitae*,

ter errat. Nam primum et Vita Probi, quae dicitur, quaeque maximi omnium ponderis est apud criticos, et Vita Donati, quam vocant, atque illa, quam e Codice Bodleiano descripsit O. Muellerus, quibus quidem primum, tertium et quintum locum in sua Iuvenalianarum satirarum editione adsignavit Otto Iahnus (1), imperatoris nomen silentio praetermittunt. Cum autem sexta, quam in Iahni editione legimus (2), Vita Traianum velut exsilii auctorem proferat, septima (3) vero — cui adiiciendum est scholion ad *sat.* VII, 92 — Claudium Neronem, nemo non videt — de octava enim, quam in medium affert Tartara, infra dicemus — iam agi non posse, ad imperatoris nomen quod attinet, nisi de vita secunda et quarta, ad quas illa accedunt, quae a Malala, Suida et Scholiastis memoriae tradita sunt. — At sexta ac septima nullius sunt ponderis, ait Tartara (4). Hoc vere quadam ex parte dictum esse quis neget? Mihi tamen nemo suaserit maioris esse secundam et quartam, cum altera octogenarium poetam a Domitiano imperatore in Aegyptum missum esse et tamen ad Nervae ac Traiani principatum supervixisse memoret (5); altera autem nunquam in patriam a novis principibus post Domitiani mortem restitutum esse narret (6); quod ne Tartarae quidem, ut arbitror, verisimile fieri potest. Adde quod ipsa scholia, quae de Iuvenalis exsilio mentionem faciunt, inter se quam maxime pugnant. Cum enim in scholiis ad *sat.* I, 1 et IV, 38 poetam Domitiani iussu exsulasse scriptum legamus, scholio ad *sat.* VII, 92 eum a Claudio Nerone relegatum fuisse docemur. Praeterea ipsum, quod modo memoravi, scholion ad *sat.* IV, 38 Iuvenalem in Aegypto mortuum esse affirmat: quod quidem, etsi nos alia deficerent argumenta, prorsus a veritate

---

quanto Malalas, Suida e gli scolii a Sat. I, 1 e IV, 38 . . . Dissentono soltanto le Vite 6ª e 7ª, ma son Vite senza valore ».

(1) *D. Iunii Iuvenalis Saturarum libri V cum scholiis veteribus.* Berolini, 1851, pp. 386, 388.

(2) Pag. 389.

(3) Pag. 390.

(4) Cfr. pag. sup., adnot.

(5) « quamquam octogenarius urbe summotus missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis . . . . . revertiturque Iuvenalis Romam, qui tandem ad Nervae et Traiani principatum supervivens » etc.

(6) « exulavit in Aegypto . . . nec inde a novis principibus revocatus est . . . decessit longo senio confectus exul Antonino Pio imperatore ».

abhorrere aperte declararent quae ipse Tartara contendit, exsules a Nerva in patriam fuisse revocatos (1).

Erravit igitur Alexander Tartara qui testium a se ad sententiam suam confirmandam adhibitorum repugnantiam non viderit, si Malalam et Suidam excipias, quos qui vere scripsisse putent, nullam rationem afferre video quamobrem id putent. Quod superest, si vera illa sunt quae auctor Vitae primae scripta reliquit, vel ex his, nisi me fallit animus, pronum erit colligere Malalam et Suidam omnia propemodum de Iuvenale esse mentitos.

Sed paullisper a Probiana Vita discedamus, ad quam mox revertemur. Tempus est enim me ad octavam Vitam redire, quae cum de exsilii auctore cum secunda et quarta consentiat, Tartarae firmissimum argumentum afferre videtur, cur Iuvenalem a Domitiano in exsilium amandatum fuisse credamus. Egregium vero eruditionis specimen proposuit adversarius meus, qui, cum se gaudere profiteatur, quod multa criticorum opera ad commentationem meam exarandam adhibuerim, me Vitam illam cognitam non habuisse demiretur (2)! Enimvero mirari ego satis nequeo non legisse eruditum hominem quae scripsit Franciscus Ruehlius, qui primum Vitam edidit, in ipsis Fleckeiseni Annalibus quos laudat Tartara (3). Nisi forte recentiores poetarum romanorum interpretes (4) locupletes gravissimosque testes, ad eorum vitas quod attinet, aestimare volumus, etiam cum quod verum falsumque sit discernere nescientes fabulas a veteribus traditas inconsulte repetant! Fuit quidem mihi in manibus co-

(1) « il richiamo degli esuli avvenne prima che Marziale abbandonasse Roma per ritornare in Ispagna; quindi il poeta spagnuolo può aver fatto a voce le sue convenienze ».

(2) « Siamo lieti di vedere che lo Stampini consultò molti lavori critici, ma ci sembra lacuna troppo grave questa, che trattando della Vita di Giovenale egli non abbia conosciuto la Vita trovata nel 1874 ». Supra autem « nel 1874 ne fu pubblicata ne' *Iahrbücher* del *Fleckeisen* p. 869 un ottava trovata in un codice del *British museum*, ma il signor Stampini non la conobbe ».

(3) « codex Harleianus 3301 chart. fol. saec. XV exeuntis. enthält einen commentar zu Juvenalis, vielleicht ein humanistisches collegienheft ».

(4) « Antiquioris aevi scriptoribus non adnumerandum esse arbitror auctorem Harleiani in Iuvenalem commentarii, quippe qui aut ea tempestate fuit, quae propter renatas litteras ab Italis vocatur *il Rinascimento*, aut paullo ante fuit. Cfr. quae infra adnotabimus ».

dex chartaceus saeculi XV (1) in bibliotheca Taurinensi adservatus qui eandem Vitam exhibet, et eam quidem multo emendatiorem, si verum dicimus, quam quae ex codice Harleiano a Ruehlio descripta est; ut me haud procul a veritate esse putem, si Harleianum codicem longius ab archetypo decessisse contendam quam Taurinensem; ne dicam me illum ab apographo quodam profectum putare et librarii inscitia tot erroribus inquinatum esse, ut Taurinensis eius archetypus propemodum esse videatur (2). Ceterum Vita Taurinensis codicis sic se habet:

Iunius Iuvenalis aquinas, fuit de aquino oppido oriundus | *qui ad mediam fere etatem declamavit. et in paridem pan* | *tomimum apud aulam imperatoris domitiani se se in deliciis* | *habentem quosdam versus non absurde composuit. hos. s. quod* | *non dant proceres dabit histrio tu camerinos. Tu bareas,* | *tu nobilium magna atria curas. prefectos pelopea facit philomena tribunos* | *hi versus per aliquantulum temporis, imperatoris auditum latuerunt. Sed cum hoc* | *opus aggrederetur occasione accepta inquadam satura hac .s. et spes et ratio* | *satis competenter eosdem versus interseruit: quibus publicatis. domitianus* | *sentiens sua tempora denotari: pudore et ira correptus. qualiter Iuvenalem* | *deprimeret apud se excogitavit. Sed cum tante autoritatis virum publice pu* | *nire non auderet. militibus ro. in extremas partes egipti in expeditionem tenden* | *tibus, quasi sub honoris obtentu sub dignitatis simulatione illum prefecit. ut si* | *alio modo deperiret sub specie dilectionis animi malignitas compleretur. Iuvenalis* | *vero primum hoc opus peregit. unde in ultima satyra: multa de militaribus officiis* | *scripsit, ut sic in exercitum ituros exanimaret. deinde hoc opere completo, eo* | *profectus tandem causa profectionis comperta: tedio et angore, vitam* | *finivit. hec de illius vita ad presens sufficiant. hinc ad ea que circha hunc* | *librum sunt inquirenda accedamus* (3).

---

(1) « Signatus est notis F, V, 11; folia habet CXII, eundemque commentarium continet qui in Harleiano codice a Francisco Ruehlio repertus est ».

(2) Hoc autem iis patebit qui Harleiani codicis Vitam cum Taurinensi codice contulerint. Ceterum vide sis lectionum varietatem quam mox subiiciemus.

(3) En tibi, lector humanissime, lectionum varietatem, quae mihi Taurinensem codicem ad Harleiani rationem expendenti occurrit. In quo

Hic iam quaero num quid auctoritatis, num quid ponderis esse possit in obscuro istiusmodi Vitae scriptore, qui saeculo circiter XV aut paullo ante Iuvenalis vitam exaravit. Eum igitur a me neutiquam idoneum testem haberi mirari desinat Tartara. Ita viri cordatiores veniam peccato meo, si peccatum fuit, fortasse commodabunt, totaque Tartarae disputatio speciosior quam verior aestimabitur.

Sed ad Probianam Vitam parumper redeundum est. De qua, quoniam fusius alio loco disputavimus (1), brevius dicam, quam instituta ratio postulare videtur; permulta enim sunt, quae proferri possunt, quare intellegatur Tartaram non modo interpretando omnia ad suam rem perperam retulisse, sed etiam se in rebus iuvenalianis, si non hospitem et peregrinum, at certe minus exercitatum demonstrasse.

Et primo quidem Tartaram video Probianae Vitae verba ad sententiam suam firmandam adhibuisse. Ex quo conficitur ut, si Tartaram sequamur, ex Probi verbis argumenta petere possimus, quare poetam a Domitiano in exsilium eiectum fuisse

---

illud te admonitum volo me Harleianum codicem non vidisse, sed illa solum quae ex eo Ruehlium exscripsisse diximus.

1 *fuit*] *.i.* H *oriundus*] *oriundus et natus* H — 2 *etatem declamavit*] *etatem satirice declamavit* H *in*] *im* H — 2, 3 *pantomimum*] *panthomimum* H — 3 *deliciis*] *delitiis* H — 4 *composuit*] *conposuit* H — 6 *curas*] *cas* H *pelopea*] *polopea* H *tribunos*. Sequuntur haec in Vita codicis Harleiani: *Paris iste carmina in* (?) *recitata emebat et suum titulum apponebat et prorsus recitabat.* Quae quidem desunt in codice Taurinensi librariique ignorantiam produnt qui adnotationem fortasse ab antiquioris codicis margine genuinis auctoris verbis inseruit. 7 *hi*] *Hii* H *imperatoris auditum*] *aures imperatoris* H *sed*] *Set postea* H — 8 *aggrederetur*] *agrederetur iuvenalis* H *in quadam satura*] *in quadam satira* H *hac*] *.h.* — 9 *satis*] *suas* (?) H *competenter*] *competenti* H *publicatis*] *publicans* H — 10 *sentiens sua tempora*] *sua tempora sentiens* H *qualiter*] *et qualiter* H — 11 *autoritatis*] *auctoritatis* H — 12 *ro.*] *romanis* H *egipti*] *egypti* H — 12, 13 *in expeditionem tendentibus*] *tendentibus in etc.* H — 13 *quasi*] *quam* H *honoris obtentu*] *obtentu honoris* H — 14 *alio*] *aliquo* H *deperiret*] *periret* H — 15 *primum hoc opus*] *hoc opus primum* H *satyra*] *satira* H *officiis*] *commodis* — 16 *sic*] *se* H *ituros*] Φ *retentos* H *exanimaret*] *curaret* (?) H — 17 *comperta*] *conperta* H *angore*] *anguore* H — 18 *hec*] *et hec* H *hinc*] *nunc* H *circha*] *circa* H.

(1) Cfr. *Rivista* cit., p. 431 (19 E) seqq. et passim.

*

contendamus. Sed aliter se se res habet. Et quidem paullisper consideremus quae vis his verbis insit: *Iunius Iuvenalis... ad mediam fere aetatem declamavit.* Si enim haec vera sunt — neque aliter existimare possumus, cum hac de re omnes Vitae consentiant —, si maxime concedere velim, quod falsum puto, Iuvenalem anno CXXVIII diem obiisse, quis iam poterit infitiari Paridem pantomimum a Domitiano eo anno capitis damnatum esse, quo Iuvenalis quinque et triginta annos natus nondum ad mediam aetatem pervenisset? (1). Cum enim Iuvenalis amplius octoginta annos vixerit, dubito num ad ipsum annum LXXXIII referri possit illud *ad mediam fere aetatem declamavit.* Quod si ita esset, id quoque nobis esset fatendum, Iuvenalem satiram in pantomimum aut paullo post aut ante eius mortem composuisse. Si paullo post, qui convenit Paridem dicere principis odium in Iuvenalem idcirco incendere potuisse, quod tres circiter annos sub Domitiano imperatore eum vixisse proditum sit (2), poetam autem post pantomimi mortem extremis quidem Domitiani temporibus satirae poenas dedisse? (3). Si paullo ante, animo reputet Tartara quae significatio his Probianae Vitae verbis subiiciatur *et tamen diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus, mox magna frequentia tantoque successu [bis ac ter] auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis... erat tunc in deliciis aulae histrio* (4) et quae sequuntur. Nonne perspicuum est his verbis significari inter illam paucorum versuum satiram et Iuvenalis exsilium multum temporis intercessisse? Nonne poeta in histrionis odium et offensionem incurrit postquam *ea, quae prima fecerat, novis scriptis infarserat?* Igitur Iuvenalis, Paride suasore, a Domitiano damnari non potuit. At vero extremis Domitiani temporibus satiram composuit; quod

(1) Paris a Domitiano capitis damnatus est anno p. Chr. n. LXXXIII.

(2) « Paride perì nel terzo anno dell'Impero di Domiziano. A noi pare che tre anni bastino ».

(3) « Noi faremo osservare che Domiziano regnò sino al 96, e che gli ultimi suoi anni son precisamente segnalati più degli altri per stragi ed esilii; Giovenale sarà dunque stato esiliato in questi stessi anni; nè ci si replichi che Paride era morto, perchè è un pregiudizio quello che si crede, che cioè il Monarca punisse il poeta per istigazione dell'istrione ».

(4) Cfr. Iahni edit. min., Berol., MDCCCLXVIII, p. 140. Eadem, paucis mutatis, leguntur etiam in Vita secunda (edit. mai., p. 387).

quidem alio loco demonstravi (1). Sed quid verbis opus est? Nonne poetam octogenarium urbe summotum fuisse legimus? Quid vero causae est, cur Probianae Vitae fidem in dubium revocemus eandemque a nobis ipsis dissentientes ad causam nostram accommodare conemur? (2). Quaero enim qua iudicandi nota adducti alia omnes veritatis numeros habere, alia autem a vero longissime abesse contendere possimus, praesertim cum Probiana Vita omnium, quae ad nos pervenerint, summa doctorum consensione antiquissima habeatur (3). Quod si in ceteras Vitas temporis lapsu multa irrepserunt, quae inter se quam maxime pugnare videntur, quem fugit eo temporis spatio, quod medium fuit inter vetustiorem et recentiorem aetatem, complures de romanis poetis fabulas esse narratas? (4).

Illud quoque verisimillimum mihi videtur summa illa Probianae Vitae brevitate atque hominum inscitia factum esse ut illius verba in plures sententias acciperentur. Quapropter mirari desinamus quae causa sit quare tam multa inter se discrepantia iam ab antiquis temporibus de Iuvenale fuerint prolata, oblatamque nobis potius veritatis lucem oculis contueamur, neque insolentius disputatione abutamur, qua saepissime fit ut non solum in re manifesta absurde cavillemur, sed etiam vehementer fallamur. Hoc autem Tartarae quoque contigit, qui, cum minimum quidque rimari cuperet, adversandi studio deceptus, etiam in re grammatica lapsus est. Nam cum in priore eademque maiore Iahni editione Probiana verba legisset *erat tunc in deliciis aulae, multique fautorum... provehebantur*, ea sic intellegi posse contendit, quasi ad illud *erat* non *histrio*, sed aliud nescio quid esset referendum (5). Atqui non animadvertit vir doctus vocabulum *histrio* ab officinatore librario omissum esse. Legat, quaeso, ipsius Iahni editionem minorem, legat quas velit Vitae editiones; tum vero sibi in animum inducet una tantum editione, praesertim cum de antiquissimis scriptis quaestio sit, de criticorum commentationibus, quae multorum

(1) *Rivista* cit., p. 469 (57 E) seq.

(2) *Rivista* cit., p. 433 (21 E).

(3) *Rivista* cit., p. 419 (7 E) seq.

(4) Cfr. GRAF, *Roma nella memoria e nelle immaginazioni del Medio Evo*. Vol. II passim.

(5) « il soggetto sottinteso della proposizione *Erat tunc*... non è necessariamente *histrio* ».

scriptis nitantur, minime posse iudicari; facillimum autem esse in gravissimos errores induci. Unum aliquem nominet, si pótest, cui illud *histrio* aliud esse videatur ac nominativus casus cum verbo *erat* coniunctus. Ceterum quem nominativum adversarius meus ad verbum *erat* referendum esse putat? Respondeat, quaeso, si potest: in eius enim scripto de hoc altum silentium est. Sed ad alia gradum faciamus, ne amplius extrahatur oratio.

Neque vero in illo diutius commoremur, ut de Paride pantomimo disputemus: quod enim extremis Domitiani temporibus brevis illa satira composita fuit, id satis magnum est argumentum, cur poetam non Paride suadente sed alia de causa, quemadmodum est apud ipsum Tartaram (1), exsilio multatum esse confiteamur. Quid dicam de argumento quo Tartara de Probianae Vitae fide detrahere conatur, cum narrationem illam de tribus versibus satirae septimae insertis absurdam esse iudicet? (2). Quid? Absurda est? Cur? Quia intellegi non potest, respondet Tartara, quomodo paucorum versuum satira post et Paridis et Domitiani mortem tantam Iuvenali invidiam conflaverit, ut exsilio dignus a principe duceretur. Sed hic consideret Tartara quam facilis et prompta Probianae Vitae sit defensio. Si quid enim in historia nobis tenebris circumfusum occurrit, num id pro falso habendum esse censebimus? Nonne omnes Vitae tam mirum in modum de poetae exsilio congruunt inter se, ut Franckii (3) sententiam omnes, paene dixi, critici reiecerint? Cur igitur *artem* illam *nesciendi* tot laudibus Tartara extollit mihique praecipit (4), cum ipse quod et veteres et recentiores penitus ignorant, compertum habere studeat, quod vero intellectu consequi nequeat, absurdum praedicet? Quotiens non modo antiquis temporibus, sed et nostra tempestate amplissimi viri accusati et damnati sunt, pauca ob verba in eam sententiam detorta, ut in tyrannicam dominationem invehi viderentur!

---

(1) « è un pregiudizio quello che si crede, che cioè il Monarca punisse il poeta per istigazione dell'istrione ».

(2) « Rispondiamo che cotesta notizia c'è, ma ci pare assurda, perchè non vediamo come i tre noti versi della satira settima (90-92)... potessero attirare sul capo del poeta l'ira di un istrione e i fulmini d'un Imperatore ».

(3) Cfr. *Rivista* cit., p. 431 (19 E) seqq.

(4) « ricordiamoci che l'*ars nesciendi* è la più indispensabile di tutte ».

Quod autem Tartara cum tres illos versus, tum qui superiores in septima satira leguntur, laudi potius quam vituperationi Domitiani pantomimo fuisse censet (1), etsi mihi id ipsum secus videtur, non magnopere laboro. Hoc contendo non abs re fuisse quaestionem, quam habui, utrum satira septima Traiano imperante an dominante Hadriano scripta fuisset; hanc enim magni ponderis esse ad exsilium Iuvenalis illustrandum alio loco demonstravi (2). — At vero fieri non potuit ut septima satira Traiani temporibus conscripta Hadriani pantomimi iram in poetam excitaret! (3). — Quidni? si verum quidem illud est, quod supra leviter obiterque attigi, saepissime pauca verba in deteriorem partem accepta multorum malorum causam extitisse. Nonne, si quid coniectura prospicere licet, verisimillimum est paucos illos versus in quendam Hadriani histrionem a populo irrisionis causa in theatro fuisse iactatos; histrionem vero, cum populum ulcisci nequiret, iram suam in poetam vertisse? (4). Cum vero de hac re alii alia commentati sint, nec quae demum opinio probanda sit satis liqueat, cur non potius *nesciendi* illam *artem* sequemur? Ita neque unquam fallemur neque a veritate alienum iudicabimus quod ab intellegentia sensuque nostro longissime est disiunctum! Sed longiores hic sumus quam necesse est.

Iam vero de tribus Martialis epigrammatis ad Iuvenalem missis haud aliter adhuc iudico atque in mea commentatione scripsi. Quamquam sic existimo ea, ad exsilium quod attinet, parvi momenti esse, cum mihi ad id maxime conferre videantur, ut Iuvenalem anno circiter XCII p. Chr. n. Romae fuisse declamationibus intentum demonstrent (5), proptereaque paucorum illam versuum satiram extremis Domitiani temporibus, quod etiam aliis argumentis declaravi, scriptam fuisse (6). Ceterum,

(1) « chi badi anche ai versi precedenti troverà infatti che, più che una satira contro Paride, essi sono una lode diretta a celebrare il favore di cui egli, Paride, era largo ai poveri poeti ».

(2) Cfr. *Rivista* cit., p. 442 (30 E) seqq.

(3) « si giudichi se sia probabile che alcuni versi scritti contro Paride ballerino di Domiziano non fossero tali da offendere Paride stesso, e invece potessero offendere un attore drammatico di una generazione più tardi ».

(4) De hac Teuffelii opinione cfr. *Rivista* cit., p. 476 (64 E).

(5) Cfr. *Rivista* cit., p. 451 (39 E) seq.

(6) Cfr. *Rivista* cit., p. 469 (57 E).

si agimus de re verisimili, nescio cur revertenti ab exsilio Iuvenali gratulari versibus suis Martialis non posset, qui, Romae cum esset, *saturnalicias nuces* epigrammate ornatas se quondam Iuvenali misisse suis ipsius verbis clarissime ostendit (1).

Utque alio sermonem transferam, propter hanc quoque causam poetam a Domitiano in exsilium missum esse negavi, quod huius facti nulla mentio sit apud Suetonium. Sed recte an secus in me argumentum regerat Tartara (2), considerent qui nullam Hadriani vitam litteris proditam esse sciunt, quae cum Suetoniana Domitiani sit comparanda; considerent qui explorate perceptum habent multa a nobis desiderari quae, si essent cognita, ad Hadriani tempora factaque illustranda plurimum conducerent. Hic velim aliquantum secum reputet Tartara, utrum probabilius sit Iuvenalis exsilium in Domitiani vita Suetonium silentio praeteriisse, an in Hadriani vita Spartianus, cuius diligentia in historia quomodo cum Suetonio conferatur, prorsus nescio. Non quo nihil plane desideretur, quod spectet ad Domitiani vitam et facta; sed id tantum intellegi volo plura eademque certiora de Domitiano quam de Hadriano veteres rerum scriptores litteris tradidisse. Quis igitur iure me reprehendat si, cum ante Hadriani imperium nullum fuerit Iuvenalis exsilium, hunc apud Hadrianum in offensa fuisse demonstravero; praesertim cum et ea poena principis ingenio minime repugnare videatur et inter omnes Vitas de exsilio satis conveniat?

Quid dicam de illis Tartarae verbis, quibus docemur Hadriani rerum scriptores, cum de Iuvenale sileant, eos tamen, quos imperator persecutus sit, suo nomine notasse? (3). Equidem, cum commentationem meam exararem, Hadriani vitam a Spartiano conscriptam in manibus habui, in qua cum complura de extremis eius temporibus, tum haec maxime animadverti: « Tunc... Servianum... mori coëgit: multis aliis interfe« ctis vel aperte, vel per insidias ». Idem alio loco: « Sub « ipso mortis tempore.... ob leves offensas plurimos iussit

(1) VII, 91.

(2) « Svetonio non narra nella Vita di Domiziano l'esilio di Giovenale. Ritorciamo l'argomento e replichiamo che nemmeno gli storici di Adriano non nominano Giovenale enumerando le persone perseguitate da questo imperatore ».

(3) « gli storici di Adriano non nominano Giovenale enumerando le persone perseguitate da questo imperatore ».

« occidi, quos Antoninus reservavit » (1). Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis quin rebus ab Hadriano gestis multa nox temporis invidia offusa sit, quid mirum si Iuvenalem ab Hadriano relegatum esse tantummodo coniectura ductus sum ad suspicandum? — At enim p o t u e r i t quidem imperator, quo erat ingenio in crudelitatem prono, in miserum poetam saevire; illud vero minime consectarium est re vera Hadrianum exsilii auctorem fuisse (2). — Cuius argumentationis vis quam parva sit ea, quae supra dicta sunt, abunde testantur. Nam si quis Iuvenalis exsilii auctor fuit, Hadrianus certe fuit. Nullo enim modo Domitianus in Iuvenalem crudelitatem exercuit suam. Nerva autem et Traianus non ii fuerunt, qui, ut histrioni gratificarentur, tanta poena plecterent poetam. Atque haec hactenus.

Superest ut Tartarae de satira XV sententiam prosequamur. In quo est animadvertendum Tartaram concertationis studio — pace eius dixerim — perperam mea verba interpretatum esse, atque adeo — dicam enim quod sentio — depravasse. Animos paullisper ad haec referte, quae in commentatione mea leguntur: « quod iam explanavimus ut Iuvenalis exsilium inter Scotos refelleremus, hic quoque opportunum esse opinor, quum o m n i p r o r s u s p r o b a b i l i t a t e d e s t i t u t a mihi videatur sententia quae virum senio confectum in extrema Aegypti parte... s a t i r a s s c r i b e n t e m i n d u c i t! » (3). Adde quod hanc sententiam etiam Ribbeckii verbis confirmare volui, quibus vir clarissimus incredibile esse demonstravit, hominem *senio et taedio vitae confectum* in exsilio *ampliasse satiras et pleraque mutasse* (4). Meis igitur verbis hoc praesertim intellegi volui, satiram XV, antequam Iuvenalis Aegyptum peteret — poetam enim in Aegyptum exsulatum abiisse statuo — procul dubio fuisse conscriptam (5).

Quae cum ita sint, quid est quamobrem adversarius meus Kulenkampianae Vitae me subscripsisse affirmet, ex qua quidem poetam in exsilio satiras ampliasse atque immutasse accepi-

---

(1) Cfr. *Rivista* cit., p. 460 (48 E).

(2) « Anche *Adriano* era crudele. Ci si perdoni, questo prova che *Adriano* può essere stato, non che in effetto sia stato l'autore dell'esilio ».

(3) Cfr. *Rivista* cit., p. 467 (55 E) seq.

(4) Cfr. *Rivista* cit., p. 468 (56 E), adnot. 1.

(5) Cfr. *Rivista* cit., p. 473 (61 E).

mus? (1). Nam quod in commentatione mea paucos admodum satirae XV versus a poeta perfectae iam satirae senili cura in Aegypto insertos esse comprobare studui (2), id satis firmum contra me argumentum Tartarae suppeditasse vix eo adducor ut credam. Multum enim interest, quomodo mihi persuadeo, inter *satiras ampliare et pleraque mutare* ac perfectae iam satirae paucos versus inserere. Profecto nihil habui quod mirarer octogenarium poetam atque in extrema Aegypti parte exsulem quattuor omnino versus addidisse; eos enim a Iuvenalis ingenio profectos esse non repugnabo. Illud potius maxime demiror, quod Tartara paucos illos versus Iuvenalem iam ab exsilio reversum ostendere firmissime asseverat (3). Nam si attendas quae vis Iuvenalianis verbis insit *quantum ipse notavi* (4), ex his id tantum colligi licet, poetam in Aegypto quondam fuisse.

Neque vero ad Tartarae sententiam facile accesserim, qui Iuvenalem octogenarium cohorti praefici idcirco non potuisse scribit, quod hoc esset in Hadriani more institutoque positum ut senes nunquam eiusmodi belli muneribus praeponeret (5). Quamquam enim haec opinio eo minuenda est, quod Hadrianus semper in omnibus varius fuit, ut Spartianus tradit (6), quin memoriae mandavit Tartara quod de Apollodoro ab Hadriano interfecto Dio Cassius scriptum reliquit? (7). Ut mihi a pravo imperatoris ingenio, quae sunt in Bodleiana Vita de codicillis ad Iuvenalem missis (8), nequaquam abhorrere videantur.

De exsilii loco nihil habuit Tartara, nisi fallor, quod censoria virgula notaret. Tamen, ut nullam mihi laudem tribueret, me in eo claudicasse gloriatus est, quod incertum esse affirmave-

---

(1) « nè bene a proposito lo *Stampini* si richiama alla Vita 4ª, dove leggesi che il poeta rifece mentre era a confino le satire ».

(2) Cfr. *Rivista* l. c.

(3) « nella satira 15.ma, scritta poco dopo l'anno 127, il poeta stesso ci fa intendere che egli era già stato in Egitto, ossia ritornato dall'esilio ».

(4) *Sat.* XV, 45.

(5) « gli storici di Adriano narrano che questo Imperatore non diede mai siffatto comando nè ai troppo giovani nè ai troppo vecchi ».

(6) Cfr. *Rivista* cit., p. 459 (47 E).

(7) Cfr. *Rivista* cit., p. 460 (48 E).

(8) « ut sciret sibi iratum principem, in codicillis suis ad eum in exercitu mittendis inseruit: 'et te philomela promovit' ». In Iahn. edit. mai., p. 389.

rim utrum prima Delmatarum cohors post annum chr. CXXIV in Britannia fuerit nec ne; utque meam sententiam refelleret, inscriptionem in medium citavit, ex qua cohortem illam, imperante Antonino Pio, in Britannia commoratam esse constat (1). Quod quidem — mihi crèdat Tartara — me non fugerat. Etenim, ut omittam inscriptionem illam a Tartara laudatam, quam legimus in *Ephemeride epigraphica*, alias quoque legeram, antequam de Iuvenale scribere aggressus sum, et eas quidem ab Huebnero editas (2) et Tartarae ignotas, quae etiam Postumium Acilianum primae Delmatarum cohorti praefectum commemorant. Ex his vero una Acilianum Antonino Pio imperante primae Delmatarum cohorti praefuisse declarat (3). Sed quorsum haec disputo, cum nemo unquam primam Delmatarum cohortem post annum CXXIV usque ad Antonini Pii imperatoris aetatem in Britannia remansisse demonstraverit? Non quin probabile esse ducam eam iam inde ab anno CV ad M. Aurelii imperatoris tempora stipendia ibi fecisse (4): hoc vero omni ratione affirmo, nullam hactenus repertam esse inscriptionem quae ab anno CXXV ad Antonini Pii tempora cohortem illam in Britannia sedem habuisse ostendat. Ceterum si post annum CXXIV Iuvenalis in exsilium missus et primae Delmatarum cohorti, in Britannia tendenti, praefectus esset, profecto, ut Cereri sacrum Aquini dedicaret (5), et aliquando ab exsilio in Italiam rediisset neque octogenarius exsulasset, quod alio loco demonstravi (6).

Diutius moror in hac controversia quam necesse est. Nam hoc mihi persuasissimum est Alexandrum Tartaram in disputatione sua non semper ad id, quod sibi verum videretur, respexisse. Quae causa eum impulerit, ut contra me scriberet, scio: ego vero hoc audacter dico et non temere confirmo non veri-

---

(1) « affermasi a pag. 52 che non è noto che la prima coorte dei Dalmati comandata una volta da Giovenale rimanesse nella Britannia dopo il 124, mentre invece da un'iscrizione trovata più anni sono in Inghilterra si ritrae che la coorte vi era tuttora sotto il Pio (Cfr. *Ephemeris epigraphica latina* Vol. 3 p. 129)».

(2) C. I. L. Vol. VII, nn. 367, 388, 400.

(3) Op. cit. n. 400.

(4) Cfr. Hübner, *Das Römische Heer in Britannien* (Hermes, 1881, p. 567 et adnot. 2 ibid. Cfr. C. I. L., III, 1979, 6374.

(5) Cfr. *Rivista* cit., p. 421 (9 E).

(6) Cfr. *Rivista* cit., p. 462 (50 E).

tatis studio sed longe alio consilio Alexandrum Tartaram commentationem meam carpere aggressum esse. Adeo non solum argumentandi rationem omni paene ex parte reprehendendam esse iudicavit, sed verba quoque et locutiones nimis subtiliter conquisivit, quibus censoriae severitatis notam inureret. Hanc vero reprehensionem equidem magni facerem, nisi in mea memoria penitus insedissent quae de Tartarae *Animadversionibus* (1) in ephemeridibus legi, quae inscribuntur *Literarisches Centralblatt:* « Der Verf. schreibt... ohne volle Kenntniss der « Literatur, sowie mit einem für einen Italiener auffallenden « Mangel an stilisticher Form, und ohne wichtige und « nichtssagende Beweismittel verständig zu scheiden » (2).

Augustae Taurinorum, IV K. Octobr. an. MDCCCLXXXIII.

---

(1) ***Animadv. in locos nonnullos Valeri Catulli et Titi Livi.*** **Romae. 1881.**

(2) **A. R., Nr. 33. 12 August, 1882, pag. 1112.**

Ex Ephemeridibus quae inscribuntur
« Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica, anno XII, fascicolo 2° »
excerptum.